



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris  
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

**Thomas <von Kempen>**

**Dvaci, 1625**

De thesauro eloquiorum diuinorum. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

de teipso, ô homo inobediens Deo, conscientia propria te accusante, absque teste aliquo in iudicio. Cum enim contra virtutem & conscientiam agis, teipsum lædis & confundis. Igitur in omnibus agendis, sis custos cordis & oris, cum sis ad mala pronus. Ad hæc iuuat optimè, in solitudine manere, orare, studere, scribere, operari.

## CAPVT III.

*De thesauro eloquiorum diuinorum.*

*Psal. 118.*  
Libri sacri  
quos fru-  
ctus asse-  
rant.

**I.** **L**ætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa. Vbi? In libraria nostra, multis sacris codicibus ornata. Nā libri doctorum, thesauri sunt clericorum. Docent enim ignaros, arguunt ociosos, excitant torpentes, stimulant dormientes, corrigunt errantes, erigunt corruentes, terrent ridentes, consolantur lugentes, laudant humiles, vituperant superbientes, confortant debiles, reprimunt præsumentes, concordant rixantes, mitigant turbatos, lætiificant tristes, subsannant vanè glorientes, iustificant pios, damnant peruersos, sanant languentes, saluant poenitentes, honorant veraces, confundunt fictos & mendaces, defendunt iustos & misericordes, vindicant omnes iniqua agentes, scriptum est in psalmo: Odisti omnes, qui operantur iniquitatem; perdes omnes, qui loquuntur mendacium. A quibus malis nos semper custodiat Iesus Christus Dominus noster. Amen.

## CAPVT IV.

*De bonis scriptoribus librorum.*

Libri in  
subsidium  
memoriæ  
eduntur.

**i.** **A**udi Israel præcepta Domini, & ea in corde tuo quasi in libro scribe. O dulce verbum & vtile consilium, cordi firmiter inferendum, & piæ memoriæ iugiter commendandum. Sed quia cor hominis est instabile, & memoria multū vaga & labilis; ideo oportet adhibere infirmo animo vtile remedium, contra obliuionem & frequentem errorem; vt verba Dei scribantur in libro, ne pereant semina sancta ex ore prolata. Quoniam quidem vox audita citò perit, litèra autem scripta diu manet ad legendum & prædicandum. Prodest autem multum exemplar bonum & correctum ad bene scribendum, & delectat ad sæpe legendum. Vnde quidam amator scripturæ, ait sacros libros scribenti:

*Scribito correctè, distinctè, protrahe certè:*

*Nec nimis acceleres, ne qua imperfecta relinquas.*

(quirit.  
Ille enim rem bene facit, qui nil negligit, quod status & ordo re-  
2. Non conturberis in labore præ tædio, nam Deus est causa  
omnis